

alacri adolescentiæ videtur vita obscurior: et ideo ad ea convertuntur studia, quæ plausibilia arbitrantur. Præsentia quippe plures, quam futura præferunt. Illi autem præsentibus, nos futuris militamus. Unde quo præstantior causa, eo debet esse cura attentior.

DE PULCHRO ET HONESTO.

Teneamus igitur verecundiam, et eam, quæ totius vitæ ornatum attollit, modestiam. Non enim mediocre est rebus singulis modum servare atque impartiri ordinem, in quo vere præluceat illud, quod decorum dicitur, quod ita cum honesto jungitur, ut separari non queat. Siquidem et quod decet, honestum est: et quod honestum est, decet: ut magis in sermone distinctio sit, quam in virtute discretio. Differre enim ea inter se intelligi potest, explicari non potest. Et ut conemur aliquid eruere distinctionis, honestas velut bona valetudo est, et quædam salubritas corporis: decus autem tanquam venustas et pulchritudo sit. Sicut ergo pulchritudo super salubritatem ac valetudinem videtur excellere, et tamen sine his esse non potest, neque ullo separari modo; quoniam nisi bona valetudo sit, pulchritudo esse ac venustas non potest: sic honestas decorum illud in se continet, ut ab ea profectum videatur, et sine ea esse non possit. Velut salubritas igitur totius operis actusque nostri honestas est, et sicut species est decorum, quod cum honestate confusum, opinione distinguitur. Nam esti in aliquo videatur excellere, tamen in radice est honestatis, sed flore præcipuo, ut sine ea decidat, in ea floreat. Quid enim est honestas, nisi quæ turpitudinem quasi mortem fugiat? Quid vero inhonestum, nisi quod ariditatem ac mortem afferat? Vivente igitur substantia virtutis, decorum illud tanquam flos emicat, quia radix salva est. At vero propositi nostri radice vitiosa, nihil germinat. Habes hoc in nostris aliquanto expressius.